

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO
Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO
HAGUENOT, JACOBO LAZERME, ANTONIO
FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES,
Regis Consiliariis, Medicis, & Professoribus Meri-
tissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI
coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO
LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonico, Theologo, &
Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis,
Abbate Sancti Salvatoris Lodovenſis, Vicario Generali &
Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii,
Medici, & Professoris Meritissimi.

*Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augus-
tissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro, mane & sero,
diebus 30, 31, mensis Januarii, & 1. mensis Februarii anni 1749.*

CAROLUS SERANE Monspeliensis, D. M.



MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, Universitatis Medicinæ
Typographum. 1749.

DEO
UNI ET TRINO.

AC

BEATÆ VIRGINI

DEIPARÆ

D. D. D. C.

CAROLUS SERANE.



QUÆSTIO PRIMA.

An quivis Morbus ex qualicumque Lymphæ concretione ortus, possit curari Hydrargirosi peculiari methodo unicuique adhibitâ?




ORBI plures à lymphæ concretæ, & hærentis inspissatione, vel exsiccatione dependent. Hujusce generis sunt obstructions, schirri, tumores schirrodæi, morbi varii cutanei, uti scabies, herpes, &c. Arthritis, labes à viru scorbutico, scrophuloso, syphilitico, cancroso, aliique benè multi. Inter eos affectus, licet lymphæ inspissationem vel siccitatem in eis agnoscant medici, summum tamen instituunt discrimen, ex variâ concretionum naturâ, ex diverso earum spissitudinis aut exsiccationis gradu, ex majori, vel minori acredinis complicatione, ejusque acredinis indole, & ex solidorum statum nativo tum adventitio deducendum: sic etiam, si obstructions, schirri, tumores schirrodæi viscera interna occupent, summè est attendendum ad viscerum affectorum textum modo enim diverso vitia hæc tractari debent, prout cerebrum, pulmones aut abdominalia viscera afficiuntur; sed in nullo earum obstructionum casu hydrargirosi tendanda est, quæ inefficax foret, & ex cujus administratione quâcumque methodo adhibitâ, nunc ruptiones & hydropes, nunc suppurationes internæ essent pertimescendæ. Scabies, & herpes modò à lymphæ inspissatione, modò ab ejusdem siccitate dependent;

sed simul, & essentialiter adest acridinis complicatio, quæ ut plurimum universa fluidorum moles inficitur: ad hæc ergo debellanda, medicamina requiruntur ex diluentium, demulcentium & incidentium classe, quæ secundum artis, & prudentiæ leges ex prægressis deducendas sunt præscribenda: inter ea mercurius non reponetur, liquores enim quoslibet ad rarefactionem jam proclives ulterius exagigaret morbique cutanei adeò non mitigatio, ut potius exasperatio sequeretur, neque ex herpes mercurii applicatione curatis aliquid in præsentis positionis veritatem est statuendum, sæpè enim ex ejusdem remedii usu urgentius redditur malum, malignum characterem herpes acquirit, simulque viscerum labe ex humorum excandescentiâ oriundæ succedunt; idque prætereà notandum hujuscemodi sanationes virûs venerei prægressi, & verum morbi fomitem constituentis suspicionem semper præbere. Arthritis tendines, periostea, nervos, membranas, ligamenta obsidens lymphæ tenacitatem & acrimoniam pro causâ agnoscit, undè actiosa quælibet nocent, sola edulcorantia profunt, tenuibus incidentibus cautè permixta. Si autem adhiberetur hydrargyrosis, intenderentur dolores & ex nimiâ acris evolutione crebriores, & diuturniores fierent. In scorbuto sanguinis globuli ita diffringuntur, ut ille partim in coagulum tenax lentumque, partim in acre serum abeat, sicque obstructionibus pariendis, & internæ vasorum erosioni inducendæ aptus evadat: mercurius lymphæ, ipsiusque sanguinis partes mucilagine jam nimis exutas, ulterius denudans, & vasorum rosionis periculum adaugens, vel lymphaticorum ruptionem & hydropem produceret, vel sanguineorum dilacerationem & sequuturas exindè hæmorrhagias procrearet. Idem remedium felici successu in serophulis non adhibetur, & experientia rerum magistra ab illius usu tunc instituendo Medicos abduxit: pravi eventûs hydrargyrosi ut plurimum succedentis causa tùm in eo versari potest, quod mole majores & molliores sint lymphæ moleculæ, tùm inprimis ex eo est deducenda, quod acrimonia peculiaris indolis, & nondùm ab ullo determinatæ

3
determinatæ de virûs scrophulosi essentiâ fit: quoad primus
mercuriales atomi lymphaticos grumos utpote molles iubeunt
& perforant non productâ eorum destructione, unde mercurii
inefficacia: quoad secundum, atomi eadem mercuriales
lymphæ mucilaginem superstitem ulterius solvunt & liquant,
sicque particulas acres vestitûs fragmentis, quibus aliquatenûs
involvebantur, penitûs fermè spoliant, unde mercurii noxæ:
exindè enim acrimoniæ gradus intenditur, pejor evadit illius
indoles, inflammationes & suppurationes internæ fiunt, sæpè
etiam inflammantur, & in suppuratum abeunt tumores exter-
ni, mole, numeroque augentur, & quandoque mutantur in
cancrum, qui licet à virû venereo, aut scorbuto, aut causis
aliis non rarò producat, sæpiùs tamen semini scrophulosi
soboles est: verum in cancro, nisi à virû venereo pendeat &
altas radices adhuc non egerit, sedulissimè vitandus est mer-
curius, in eo enim affectu insignis viget & pessimæ indolis
acrimonia, unde veluti causticitatis naturam liquores quilibet
acquisierunt: mercurius ergò symptomata brevissimo temporis
intervallo acueret, ægerque citissimè ad vitæ extrema ducere-
tur. Concretiones lymphaticæ virû venereo inductæ solæ sunt,
docente observatione, quas domat hydragyrosis, neque ista
feliciter unquam succedit tum in præcitatibus affectibus, tum in
quibuscumque aliis à lymphæ inspissatione vel exsiccatione
oriundis, nisi cum virû venerei complicatio adest, tuncque
debitis cum cautelis est instituenda, imo & eam adhibere vetat
aliquando ægri status, uti in hydrope, suppuratione internâ
&c. Istud observandum prætereà mercurii ope virû venerei
complicationem equidem deleri, sed plures è memoratis affec-
tibus non rarò superesse, vel frictionum mercurialium tempore
cedere cum brevi dein & minimâ datâ causâ recrudescant,
uti observatur de herpete, quæ si accidant, propriis reme-
diis illi affectus tunc temporis sunt debellandi. Ut autem mer-
curii efficaciam in lue venereâ ratio dignoscatur, notetur vix
vitium in majoribus vasis liquidisve sensibile adeste, vasa enim
sanguinea & lymphatica primi generis liberam circulationem

vel intrà minutissima sui extrema permittunt, hærentiæque tantummodò fiunt in seriebus vasorum lymphaticorum decrescentibus. Sola ergò peccat lymp̄ha tenuior, ejusque moleculæ concretæ duræ sunt, & renitentes; sic mercurius liberè intrà vasa sanguinea & lymphatica majora circulans nullam ullibi labem infert, neque nisi summo perè divisus, & sufficienter in suo motu retardatus, lymphatica exilissima subit, ubi in moleculas lymphæ concretas irruens, eas ut potè exiguas penitùs confringit, easdemque duras, & ipsi resistentes suo pondere quatuordecies majore exsuperat, & ad integram dissolutionem conducit. Hæc tamen fausto eventu non accident, nisi cauta & in diversis casibus varia præparatio instituat, & nisi sapienter adhibeatur mercurius, cujus ergò administrationem à sagaci & prudenti Medico dirigi necessum est; cùm igitur inter morbos à lymphæ concretionem oriundos lues venerea sola hydrargiroseos ope tutò eradicetur, cumque alii ei aded non cedant, ut potiùs ex illius usu quocumque modò adhibito sæpius ingravescant, nisi virûs venerei effectus aut comites sint, exindè concludimus.

Ergò quivis morbus ex quâlicumque lymphæ concretionem ortus hydrargiroso, peculiari licet methodo unicuique adhibitâ, indiscriminatim curari nequit.



QUÆSTIO SECUNDA.

An ex unius corporis vesicæ Paralyfi sequi debeat necessariò ischuria, & quomodò huic Symptomati sit succurrendum?

V Esica urinaria cujus figuram accuratè descripsit clar Winflow. (a) In sui orificio anteriori urethræ continuo, sphinctere constringitur, cujus fibræ dictum orificium

(a) Expos. anat. Trait. du bas-ventre, n. 448.


ambientes arcum potiùs, cornu utroque superiora spectante, quàm orbem describere videntur. (a) An eo loci confertæ definant, an continuatæ ulterius producantur, si Santorino fides, mentis potiùs quàm artis ope est attingendum. Hujus ope vesicæ orificium constringitur, ne involuntariè nobis urina effluat. Corpus tunicam habet muscularem urinæ expulsionem dicatam, & fibris Carneis (b) constantem juxtà vesicæ longitudinem in illius superficiè exteriori exporrectis, quibus substratæ sensim obliquiores fiunt, tandemque ferè transversæ in plano tunicæ interiori evadunt. (c) Longitudinales musculum constituunt de quo Hyeronimus ab aquâpendente & Bartholinus sub nomine muscoli vesicam ambientis primi egerunt. (d) Qui dein à spigelio urinæ detrusor dictus fuit, & quem eximiè describit Parsons (e) fibræ illæ omnes mirum in modum contrahi & extendi possunt, (f) earumque actione, detrusoris præsertim (g) absque respirationis ope, urinam expelli posse patet ex experimento Walæi (h) qui sæpiùs in vivo cane resectis omnibus abdominis musculis, vulnereque exiguo vesicæ inflictò, urinam non minùs in distans ejici observavit quàm per penem in sanis: diaphragmatis tamen & musculorum abdominalium actionem ad eandem urinæ eliminationem concurrere admittimus: iis enim simultaneo motu contractis intestina, & viscera urgentur, nequè habent quo cedant præter pelvim, in quâ vesica repleta & tumens compressionem recipit. Ultima hæc causa excretioni urinæ minime sufficit, quippè constat observatione vesicam ultrà modum distensam, & à contractionis vi spoliatam ischuriam veram induxisse, mortisque causam fuisse. (i) Si igitur causa extiterit paralysim nervorum corporis vesicæ inducens, ischuriam exindè necessariò sequuturam fore evidens est: talis Paralyseos causa continens

(a) Santorini, obs. anat. cap. 10. pag. 203. circa idem vid. Vvinsl. n. 660 661. (b) Morgagn. advers. anat. 3. animad. 39. (c) Vvinsl. trait. du bas-ventre. n. 451. (d) Thom. Bartholin. anat. lib. 1. de infimo vent. pag. 130. (e) Parsons. descript. de la Vessie. (f) Rhuisch. Th. 4. N. 23. n. 2. (g) Parsons. tab. 4. fig. 2. (h) Apud Barthol. loco cit. (i) Sennert. prac. lib. 3. pag. 8. sect. 1. c. 3p. 4. Verrhein. supp. anat. lib. 1. cap. 29. de urinæ. Forest. lib. 25. obs. 14.

est eorumdem nervorum laxitas qui etsi ab iisdem truncis enascantur, ex quibus sphincter ramos accipit, à causis tamen propriis laxari queunt, uti vicissim rami in sphinctere distributi, primis robur servantibus, resolvi ipsi valent, unde paralytis vel vesicæ corpus, & sphincterem simul, vel alterutrum non nunquam afficit. Præter causas paralyseos generales, dantur peculiare, quas hic in primis advertere interest, & inter quas statim est recensenda nimia vesicæ distentio apud eos occurrens, qui publicis detenti negotiis, aut in concionibus, senatu, foro, conviviiis urinam retinuerunt, vel quos prægressa, & diuturna vexavit ischuria. Ab ætate provecâ, à lapsu, ictû, vertebrarum luxatione, vulneribus spinalis medullæ, tumoribus qui in eâ parte nervos afficiunt idem affectus induci potest: quare verò à vertebrarum luxatione nunc ischuria nunc urinæ incontinentia? quare sæpè ischuria statim ingruit cui succedit incontinentia non difficulter intelligent, qui vesicæ nervos aut Paralyticos fieri, aut stupore solummodo affici advertent, vel stuporé statim corripit, in dies crescente, & ad perfectam vergente paralytim. Vera ischuria per se patet: si enim vesicæ regio contrectetur & comprimatur, tumida & repleta deprehenditur; hanc verò urinæ suppressionem ex paralyti dependere, tum ex prægressis eruetur, tum ex eo percipietur quod, etsi vesica plena turgeat, sensus tamen urinæ & dolor absint. Gravis semper est ischuria à corporis vesicæ paralyti dependens, & eo peior quo à gravioribus causis paralytis inducitur, si enim à vertebrarum luxatione procedat, urgens imminet periculum, tum ratione ischuriæ tum ratione symptomatum quæ simul adsunt, & brevi vehementissimè ingravescunt: si à senio pendeat, periculi etiam plena est & curationem ut plurimum non admittit, minus è contra adest periculum, minusque contumax est affectus, si ab urinâ cohibitâ originem trahat, si simul adultos adoriatur, & paralytis perfecta non sit. Curatio in quocumque paralyseos casu ad illud statim verget ut suppressa urina omni industriâ promoveatur, quem scopum si solita remedia non attingant, ægro succurretur

succurratur per catheterismum, quo aditus urinæ præbeatur, idque auxilium sæpius in die repetendum, ut nimia urinæ mora præcaveatur, varia interim tum internè tum externè, præscribentur, quæ robur, sensum motumque vesicæ impertiantur, medicamenta igitur interna ex antiparaliticorum classe desumpta adhibebuntur, simulque topica non negligerentur, inter quæ eminent aquæ thermales, Bellilucanæ præsertim, earumque lutum quibus fovebuntur peryneum hypogastrium partesque vicinæ, et quæ simul intra vesicam repetitis vicibus injicientur: si autem ab ictu contusione, vulnere, luxatione procedat, essentialia erit contusæ, vulneratæ, luxatæ parti specialius opitulari, ut vis vesicæ nervis restituatur atque simul vulnere, contusioni, aut luxationi succuratur, quibus ita observatis concludimus.

Ergò ex unius corporis vesicæ paralyti sequi debet necessario ischuria, & propositâ methodo huicè symptomati est succurrendum.



QUÆSTIO TERTIA.

An Morborum Acutorum curatio à purgatione inchoari debeat?

MOrbi qui brevi & cum periculo sua tempora percurrunt, acuti apud omnes audiunt, quorum in perperacutos, peracutos, acutos simpliciter, & acutos ex decidentia divisionem satis ab omnibus cognitam hic non attingam, advertens tantum plures inter eos Febrem comitem habere, alios absque Febre sua stadia decurrere. An eorum curatio à purgatione sit inchoanda ex sequentibus colligetur, nimirum ex morbi genio, ex causæ eum producentis eique fomitem subministrantis indole, ex symptomatum naturâ, ex partium

affectuum textu, & ex ægri temperamento & viribus. Hæc sedulò pensitata memorati problematis solutionem præbent & casus nitidè commonstrant, in quibus vel præscribenda, vel ableganda purgatio. Morbi purgationem vel in ipsis initiis per se indicantes ii sunt, qui putridi vulgò dicti à saburrâ primarum viarum dependent, & à sanguinis Lymphæ, variorumque recrementorum inquinacione procedunt, quam succi pravæ indolis à primis viis suppeditati producunt & fovent: signa ergò saburræ & humorum ab eâ inquinacionis in omni morbo acuto sunt perpendenda, ut ex eorum præsentia vel absentia morbi natura & causæ eum producentis & foventis indoles innotescant. Itaque si spontaneæ lassitudines, appetitus imminutio, ventriculi à pastu pondus, ructus, nausæ, borborygmi, dyarrhææ morbum præcesserint, si cum horrore, rigore, cardialgiis, nauseis, vomitu affectus invaserit, si adsit oris fætor, si crusta albicans, grisea, crocea, nigricans, linguam dentes labia obducat simulque quædam aut plura ex præcedentibus persistant, morbum ex iis ad putridorum classem pertinere demonstratur: licet enim frigus absque putredine nonnumquàm cum morbis incipientibus corripit, ejus tamen præsentia, si prægressis stipetur, attentè à clinico advertitur, & multùm tùm ad copiam, tùm ad indolem materiæ Febrilis dignoscendam confert: sic pariter ægri vivendi modus, alimentorum quibus antè morbi invasionem vescebatur natura, aliaque hujusce generis investigantur; ex quibus, si pateat causam morbi foventem eam esse, quæ jam designata, curationis scopus eo est dirigendus, ut fomes morbi, saburra nimirùm primarum viarum, cum debitis cautelis eliminetur, simulque abigantur pravi succi quibus fluidorum massa inficitur. Hanc verò indicationem purgantia optimè adimplent, eoque collimat Medicus, ut quàm citò fieri potest, ægrotanti tutò propinentur, neque obstant antiquorum præjudicia, quibus in morbi principio, augmento, & statu à purgantibus abstinebant: Vanum enim eorum fuisse metum pessimosque sæpiùs ex eorum praxi sequutos fuisse eventus, tùm ex ipsis eorum ob-

ervationibus constat, tùm ex hodiernæ praxeos felicitate, tùm ex ratiocinii evidentiâ, quâ purgantium à prudenti, & cum cautelâ adhibitorum demonstratur utilitas, tùm ex eventuum contemplatione, qui à neglecto eorum usu sequuntur. Si autem ex signorum expositorum absentia, & ex causarum examine palàm fit, morbum inter putridos non esse recensendum, à purgantibus est abstinendum, quæ si tunc præscribantur, non nisi declinante morbo sunt imperanda, nocerent enim hæc remedia gravioraque mala sæpiùs inferrent, uti in Febre à stimulis nullâ præsentente humorum discrasia, in morbis inflammatoriis quibuscumque, si à pravis succis neque producti fuissent, neque foverentur, imò & casus adsunt in quibus ægrum in evidens vitæ discrimen conjicerent, uti in incipiente hæmopthysi. Insuper in morbis ipsis quos putredo fovet, curatio semper à purgatione non est inchoanda, sed partis affectæ textum & symptomata quibus stipatur morbus sedulo explorare necessum est: Si enim adsit abdominis inflammatio vel inflammationis in eo periculum, purgatio licet ex prægressis indicata graves noxas induceret; tunc ergò diætâ tenuissimâ, potu copioso humectante & leniente, venæ sectionibus repetitis, narcoticis, fotu emolliente, clysterum ejusdem naturæ usu, julepis demulcentibus est procedendum, neque ad purgantia licet mitiora deveniendum, nisi metu inflammationis ablato. Si pleuram aut pulmones, tùm seorsum, tùm simul phlogosis vel inflammatio afficiat, promptè nimis instituta purgatio multum damni etiam afferret; hæcque nisi variis præmissis, venæ sectionibus præsertim, est præscribenda, citiùs tamen quàm in casu præcedenti suadetur: Si enim doloris pectoris, aut sputi sanguinis cessatio ad purgationis exhibitionem expectaretur, in summo vitæ discrimine æger versaretur, sæpiùsque ob omissam evacuationem fatum obiret, cum è contrâ quotidiana demonstret observatio purgationis ope, si cautè exhibeatur, symptomata hæc non rarò ipso die plurimum mitescere, vel etiam quandòque evanescere. Demùm si in cerebro adsit morbi sedes, idem à purgantium usu

periculum non imminebit, quæ tamen cautelam exigunt, & quibus nisi evidens adsit contraindicatio venæ sectiones è malleolo præsertim prægredi debent. Id demùm tùm in memoratis casibus tùm in quibuscumque aliis in purgantium adhibitione est advertendum, ut ex eis nullus vel ruptionis vaporum, vel nimix humorum excandescentiæ metus exurgat. Itaque licet à naturâ morbi & causæ indole indicentur, sic tamen sunt præscribenda, ut aliundè periculosa non fiant. Pro ergò vario partis affectæ textu, & diversâ symptomatum vehementiâ plus minusve differendus est illius usus, sæpiusque non nisi sopitâ, & mitigatâ symptomatum ferociâ ad morbi causam directè oppugnandam accedere licet, ergò indicationes ex morbo, ejusque causâ; & contraindicationes ex quocumque fonte oriundæ, sunt invicem conferendæ, ut citior, tardiorve exurgat exindè cathartici propinatio; denique ægri temperamentum ejusque vires diversas non rarò cautelas antè purgationem requirunt, ex quibus liquet, 1^o. canonem certum statui non posse, quo tempus purgationis in unoquoque morbo acuto determinetur, & 2^o. Sæpè in praxi evenire, curationem à purgatione non esse inchoandam, undè concludimus.

Ergò Morborum Acutorum curatio à purgatione semper inchoari non debet?



QUÆSTIO QUARTA.

An purgantia medicamenta humores noxios promiscuè vel ex delectu evacuent.


CUM purgatio sit excretio per alvum, eorum omnium quæ ex aliquâ corporis parte per intestina effluere possunt, sequitur medicamenta purgantia ea esse, quæ interiùs assumpta,

pta, vel exterius applicata hujuscemodi evacuationem per anum producant; remedia hæc ab antiquis in eccoprotica, phlegmagoga, cholagoga, hydragoga, & melanagoga dividebantur, prout ab eis solas alvi fæces, pituitam, bilem, aquam, aut melancholicos & adustos humores evacuari existimabant: eo enim præjudicio detinebantur ut crederent purgantia electoria esse ita ut bilem aut pituitam aliis intactis expellerent & vicissim, pluresque apud eos movebantur controversiæ utrùm sympathiâ, vel antipathiâ noxios humores attraherent aut fugarent. Præcipuam illius erroris causam fuisse legitimus quod evacuationes à diversis purgantibus excitatas, mucosas, flavas, serosas, vel nigras observarent, easque varietates à determinatis purgantibus constanter inductas cernerent. Verùm jamdiù obsolevit hæc opinio, & materierum alvo excretarum varietatem tum ab ipsorum purgantium colore, tum à diversâ eorum vi aliisque circumstantiis unicè pendere apud omnes inconfesso est. Actionem quam hæcce medicamenta exerunt ex eorum partium integrantium mole, duritie, figurâ, motu deducimus, unde diversorum energia, eorumque in minorativa, mediocria, & mochlica divisio. Purgantia ore assumpta in ventriculi parietes statim agunt, & irritatione ibi excitatâ copiosiore liquoris gastrici in ventriculi cavum effluxum determinant, simulque tunicam illius muscularem ad vividiorum contractionem stimulando diaphragmatis, & musculorum abdominalium concursum sympathicè inferunt, quod ultimùm tamen non nisi de validioribus intelligendum. Exindè materierum in ventriculi cavo contentarum dilutio, emollitio, attritus, earum quæ parietibus internis adhærescunt similis emollitio, abrasio, in ventriculi cavum detrusio, tandemque organi secretorii depuratio, & succorum in ipso hærentium ad eandem ventriculi cavitatem propulsio; quæ omnia ut ritè perficiantur repetitum purgantium usum sæpiùs exigunt, ut experientiâ notum est. Peractæ in ventriculo actioni par omninò, imò ulterior efficaciorque in intestinis exeritur, unde eisdem effectus & etiam intensiores, materiesque sensim ad rec-

tùm detrusæ foras expelluntur, perstante igitur cathartorum actione, novis continuò stimulis ventriculi & intestinorum parietes irritantur; unde magna humorum versus ea loca derivatio: tubuli enim secretorii humorem suum in ventriculi & intestinorum cavum copiosè evomentes, ductusque cholecocus & pancreaticus liquida sua in idem cavum pariter eructantes novis à sanguine recipiendis humoribus, eaque in ventriculum, & intestina transmittendis aptiora evadunt. Plures interim medicamentorum purgantium particulæ per vasa absorbentia tenuissima & lactea ad cor, & indè ad vasa quælibet tùm sanguifera, tùm lymphatica & secretoria devolvuntur, intra hæc vasa stimuli vices, uti in primis viis, exerunt, tunicas vasorum, sanguineorum præsertim, ad validiores contractiones incitant, ex quibus molecularum sanguinis & lymphæ divisio; attritus, ad fluendum aptitudo, & ad uberiores secretionum materiam suppeditandam dispositio. Alter hic insuper effectus producitur, qui in primis viis præstitus non fuerat: efficacius enim medicamentosæ particulæ in ipsas sanguinis, lymphæ, & variorum recrementorum Moleculas agunt, easque propriâ vi dividunt & attenuant; sicque concurrente causarum memoratarum actione fluida quælibet fluxiliora evadunt, eorum in anfractuosis vasorum extremis præcaventur hærentiæ, & actu existentes ad feliciorum resolutionem disponuntur; ex quibus purgantium ritè adhibitorum patet utilitas eorumque noxæ deducuntur si intempestivè adhibeantur: ea ergò est purgantium actio observationibus innixa, ex quâ liquet humores quoslibet qui ad intestina effluere possunt, ab eodem purgante indiscriminatim eliminari, simulque purgantia in omnes sanguinis, lymphæ & recrementorum moleculas tùm sanas, tùm morbosas æqualiter agere & promiscuè in quascumque sibi obvias irruere, ex quibus ea moventur quæ faciliùs deponi possunt, sicque nullus in hisce remediis delectus admitti debet, & purgantium divisiones ab antiquis traditæ penitus rejiciendæ, si saltèm juxta eorum mentem intelligantur; licet ergò quædam purgantium nomina

ab antiquis usurpata adhuc in usum veniant hydragogorum præsertim, multum abest ut ea selectu quodam agere existimentur, sed eorum effectus, non secus ac aliæ omnes ex diversis purgantibus oriundæ varietates ex prægressis non difficulter intelliguntur, unde concludimus.

Ergò purgantia medicamenta humores noxios non ex delectu, sed promiscuè evacuant.



QUÆSTIO QUINTA

An Catalepsi Emeticum?

Catalepsis adest, quoties ægri subitanè sensuum internorum & externorum abolitione correpti, motuque voluntario privati, situm in quo ab adstantibus ponuntur non difficulter suscipiunt, eumque nisi ab externâ causâ dimoveantur constanter retinent, vel si sibimetipsis relinquuntur eum corporis statum servant quem primo invadentis morbi momento habebant; sic in mediâ scalâ unus ascendentium Catalepsi correptus gradibus adhæsisse legitur, ibique statuæ instar immotus viam sequentibus præclusisse (a) Catalepsis in perfectam cui præcedens descriptio convenit, & in imperfectam dividitur in quâ sensus penitè non abolentur; rursù inexquisitam quæ ab aliorum affectuum complicatione libera, & in eam quæ cum aliis affectibus (b) tum maximè cum epilepsiâ complicatur. Ut causa hujusce morbi continens, quantum penes est, attingatur, illæ priùs quibus frequentius inducitur, sunt perpendendæ, hujusce generis sunt imprimis temperamentum melancolicum, curæ, animi contentiones, &

(a) Buchanam apud Joan. Dolæum encyclop. lib. 1. (b) Hist. de l'Acad. des Scien. 1739.

gravissima animi pathemata. Sic à subitaneo terrore hunc affectum anno proximè elapso productum vidimus apud Italum qui hostium præsentia, mortisque formidine exanimatus in catalepsim brevi incidit, cujus causâ Monspelim venit ut Professore illustrissimum (a) nobiscum consultum haberet; exemplum simile habetur in actis Academiæ Par. (b) nobilis Matronæ quam pridie disjudicandæ litis, cujus curâ graviter torquebatur, idem affectus invasit, aliudque exemplum apud Tulpium legitur de juvene Britanno impensius amori indulgente, & ex nuptiis inopinatò repulsis Cataleptico factò (c) innumera hujuscemodi exempla apud Auctores reperiuntur; (d) quandòque etiam fatuitati succedit; ex quibus ritè penitatis liquet causam ad huncce morbum prædisponentem, vel esse summam in emporio tensionem, vel ejusdem laxitatem: Prima causa ultramodùm evecta atoniam accersit, secunda jam est atoniæ initium. Effectus ergò earum causarum cum naturâ symptomatum, abolitione nimirum, vel imminutione summâ sensuum, motuumque voluntariorum sedulò collatus, ad eam necessariò theoriam ducit, ut summa laxitas fibrarum emporii veluti causa morbi continens agnoscat, hoc tamen notato fibras emporii licet flaccidas fluidum tamen nerveum ex extremitatibus arteriosis sanguiferis secretum admittere, illudque ad musculos nervis ab ipsâ productis transmittere, ità ut muscoli contractionis quam morbo ingruente habebant retinendæ capaces sint, simulque novas contractiones inire valeant si à causâ exteriori fluidi nervei in ipsos determinetur influxus; sensus interim non vigent, quia fibræ emporii laxæ vibrationem non admittunt, eademque de causâ cessat ad tempus animæ dominium: hanc ergò laxitatem emporii veluti genuinam Catalepticos causam admittimus, simulque levem substantiæ corticalis ingurgitationem, quæ cum relaxando emporio par fit, ad eum tamen gradum non est evecta, ut fluidi ner-

(a) D. Fizes (b) Hist. de l'Acad. an. 1738. (c) Nicol. Tulp. obs. med. lib. 1. obs. 22. vid. Forest. (d) Rondelet meth. cur. Fern. lib. 5. de part. morb. & simpt. Benedict. Sylvatic. consult. & respon. med. cen. 1. primum prorrh. text. comment 56. Raimond. Ferris consult. & resp. medic. tom. 1. cent 1.

vei secretionem nimis præpediat. Prægressa theoria circa emporii laxitatem prælaudati itali observatione confirmata mihi videtur, in quo ex parentum qui ipsum comitabantur relatu, & ex iis quæ ipsi vidimus, quatuor observabantur stadia sibi constanter succedentia; mania nempe quam Catalepticos paroxismus sequebatur, post paroxysmum mæror, & veluti fatuitas, dein intermissio, novusque ab intermissione mania insultus; Cataleptis gravis est affectus, per paroxysmos ut plurimum recurrens, ad epilepsiam & dementiam non raro conducens, & sæpè affectu soporoso vitam ægrorum terminans: in ejus curatione duo tempora occurrunt; paroxysmi nimirum & intermissionis: quoad primum si frequentibus paroxysmis æger obnoxius fuerit, è quibus solis naturæ viribus evaserit, uti satis in Catalepsi, & epilepsiâ solemne est, paroxysmi finis est expectandus, nihilque moliendum, nisi longior aut vehementior ægrum in vitæ discrimen conjiciat, sin econtrà tunc primum Catalepticus fuerit, ideòque morbi indoles, & gradus adhuc in aperto non sit, promptè ei succurrendum ad illud vergendo, ut sanguinis intrà substantiæ corticalis vasa liberior, faciliorque transfluxus reddatur, sicque uberior fluidi nervei secretio fiat, vividior ejus impulsio in vasa medullaria determinetur, tensioque pristina emporio concilietur, cui scopo attingendo, præscriptâ venæ sectione, si indicata videatur, nulla remedia emeticis præstant; quæ prætereà exindè profunt, quòd ventriculi saburram quâ paroxysmus non raro determinatur, foras eliminet, in paroxysmorum intervallis cortex peruvianus plurimum commendatur, aliaque remedia ex stomachicorum, diluentium & cephalicorum classe deducenda, quibus digestionum labor sustineatur, sanguinis & lymphæ servetur fluxilitas, quicumque infarctus in substantiâ corticali præcaveantur, tensioque substantiæ medullaris conservetur; cum autem in præcitatibus paroxysmorum casibus nullum auxilium emeticis præstantius sit, ideò concludimus.

Ergò Catalepsi Emeticum.

E

QUÆSTIO SEXTA.

An Erysipelati Topica admovenda sint?

Erysipelas, latinis ignis facer, tumor est inflammatorius, diffusus, parùm elatus, rubore, dolore, calore acri stipatus, prementibus digitis cedens, tunc albescens, iterùm remoto digito rubens, locum mutans, & parte quàm priùs occupaverat sanescente, ejus vicinas affligens: Duplex est, legitimum seu verùm, & spurium: istud in phlegmonodes, œdematodes, & schirroides distinguitur; in essentiali etiam dividitur, & symptomaticum, cujus multiplex ratione causarum diversitatis institui potest subdivisio: sedes morbi in cute est, pinguedine, imò sed rariùs in ipsis musculis. Ad causam illius continentem tria requiruntur. 1°. Subitanea sanguinis hærentia in extremis arteriosis sanguiferis cum globulorum purpureorum in limphaticorum arteriosorum radices ingressu. 2°. Vicens imò naturali intensior cordis & arteriarum motus. 3°. Inflammatoria sanguinis spissitudo minor tamen, quàm in phlegmone, cui essentialiter comes adsit acredinis complicatio; hæc tria si simul reperiantur, causa continens præsens erit, & consequenter Erysipelas, cujus causæ remotæ innumeræ recensentur, nunc enim vulneribus & ulceribus supervenit, nunc metastasis cujusdam effectus est, nunc à cohibitis menstruis, vel transpiratione insensibili, vigiliis, liquorum ardentium usu, nimiâ insolatione, vel econtrâ suscepto frigore, animi curis inducitur; cuncta hæc morbo producendo inprimis favent, si jam adsit in sanguine prædispositio ex bilioso ægri temperamento, vel ex quocumque alio fonte suborta; iisque causis accedunt materiæ à primis viis suppeditatæ, sæpiùsque morbi formam constituentes, in quibus non tam spissitudo, quàm acris indoles requiritur. Gravibus symptomatibus aliquandò ca-

et Erysipelas, præsertim si facies eo non detineatur, vulgò ta-
 men plura ipsi junguntur, uti Febris plùs minùsve sæviens &
 ardens, vigiliæ, ànxiètaes, & cum sæpè morbum essentia-
 lem non constituat, sed Febris putridæ sit symptoma, acce-
 dunt & alia multùm in diversis variantia; prognosis hujus af-
 fectûs non solùm ratione causæ & symptomatum varietatis,
 sed etiam ratione sedis, diversa est instituenda, pejor enim, si
 caput, faciem, palpebras occupet, quàm si crura, pedes, aut
 brachia. Curationis autem scopus eo semper est dirigendus,
 ut Erysipelatis resolutio remediis internis & topicorum ope
 tentetur. Hic enim terminationis modus imprimis est felici-
 gendus, cum laudabilis & brevis suppuratio vix in Erysipe-
 late sit expectanda, cum prætereà resolutionis via multò mi-
 nùs periculosa sit, cumque insuper sanguis & lymphæ minùs
 spissa quàm in phlegmone, multò exindè ad resolutionem sint
 proniora. Hunc resolutionis scopum attingent diætæ tenuis,
 potus primis diebus solummodò diluens & leniens, leviter dein
 incidens & promovens diaphoresim, venæ sectiones repetitæ,
 è malleolo præsertim, si faciem Erysipelas occupet; id præte-
 reà in omni Erysipelate perquirendum, utrùm à saburrâ pri-
 marum viarum pendeat, & Febris putridæ sit symptoma, nec
 nè; si primùm, repetito purgantium usu purgatio est molien-
 da; imò & præscribenda emetica, quæ præsertim in faciei
 Erysipelate indicantur, & illud ad resolutionis initium felici-
 ter conducunt. Sæpiùs enim ipso vomitûs die palpebræ inten-
 sè tumefactæ, & utrumque oculi globum omninò præcluden-
 tes detumescunt, simulque reliqua facies, & alia sic mitescunt
 symptomata ut salutaris remedii effectus nitidè innotescat;
 quòd ad topica attinet, eorum usum faciei Erysipelas
 non admittit, ratione enim textûs in hacce parte delicatioris;
 gangrænæ metus à topicis exurgeret, si verò alias corporis
 partes occupet, multùm auxilii ab iisdem topicis est expectan-
 dum, quæ ex emollientium & resolventium classe sunt desu-
 menda, & quæ ità debent seligi, ut textum partis plùs mi-
 nùsve laxando, sanguinisque & lymphæ acrimoniam ibidem

temperando calorem & dolorem partis mitigent simulque fluxilia reddendo affecti loci fluida, ea ad resolutionem disponant; quem in finem resolventia emollientibus permiscenda in diversis Erysipelatis speciebus varia præscribentur, eorumque usus citius vel tardius inchoabitur; repercutientia sedulò sunt vitanda, gangrænam enim, vel matastases ad interiora inferre possent, pariterque resolventia validiora quàm ferat inflammationis gradus rejicientur, ut potè quæ supurationis vel etiam gangrænae periculum accerferent; cum autem recensita priùs topica ad erysipelatis resolutionem multùm conferant, si solus faciei casus excipiatur, exindè concludimus.

Ergò Erysipelati topica admovenda sunt.



QUÆSTIO SEPTIMA.


An sit aliquod signum univocum Hydropis pectoris?

HYdrops pectoris est aquæ in cavitate thoracis collectio, exindè ut plurimùm orta, quod sanguinis adsit constitutio cachectica, in quâ serum cum reliquis massæ sanguineæ partibus malè permixtum & exuperans versùs vasa secretoria & lymphatica uberius deviet, quæ si in thorace quâcumque de causâ laxiora, vel debiliora sint, à lymphâ copiosius irruente laxabuntur nimis, vel rumpentur, sicque causam morbi continentem efficient. Morbum hunc varia plerumque concomitantur; facies nimirum pallida per intervalla intumescens, habitus corporis ad leucophlegmaticum vergens, œdematosa pedum inflatio, tussis leviuscula & respirandi difficultas, quibus, ingravescente affectu, junguntur ponderis in pectore sensus, decubitus in alterutrum, vel in utrumque latus difficilis, anhelosa magis & laboriosa respiratio, nocte præsertim & ægro
jacente

jacente urgens; quæ omnia in ultimo morbi stadio ita quandoque adaugentur ut non amplius decumbere ægrotans valeat, & nonnisi trunco erecto aut ad anteriora inclinato spiritum ducat. Nunc nobis est examinandum utrum symptomata hæc vel collectivè, vel seorsum sumpta signum hydropis pectoris univocum constituent; cui propositæ quæstioni respondi notamus. 1°. Cadavera eorum nonnunquam aperiri, qui dum viverent de nullo ex illis symptomatis conquerebantur, & in quibus tamen copiosa in thorace aquæ collectio observatur, undè concludendum symptomata hæc, licet in hydrope pectoris frequentia, constantia tamen non esse, & consequenter neque simul, neque sigillatim habenda esse veluti signum hujus affectus univocum. Notamus, 2°. Symptomata eadem unà, aut separatim considerata in ægris nonnunquam adesse sine ullâ aquæ in cavo thoracis collectione, quod itidem demonstratur ex eorum cadaveris aperturâ, qui dum viverent, præcedentibus dirè vexabantur, & in quibus nulla sæpè aqua, sed diversissimi generis labe in thorace reperiuntur. Duplici hæc observatione nodus propositus sufficienter solvitur: verum firmioris doctrinæ gratiâ, quædam addenda veniunt. Morbus in primo quod descripsimus stadio, ex memoratis signis confundi posset cum respirandi difficultate à variis aliis affectibus productâ, uti à pulmonum tuberculis, hydatidibus, ossiculis, stomatibus, lapillis, œdemate, ab eorum cum pleurâ adhæsiõne, à sordium, aut quorumlibet extraneorum collectione in bronchiis, laringe, uti apud artifices pulverulentos, observatur, idemque ex relatis signis sufficienter non distinguitur à chlorosi, asthmate incipiente, pthisi sedem in textu pulmonum interlobulari habente, & à vomica latente; undè iterum constat relata signa eam non habere certitudinem quæ in univocis desideratur, sicque in eorum classe non esse reponenda. Symptomata eadem in morbi decursu evidentia adeò non evadunt, ut omne tollant diagnoseos dubium: aortæ enim anevryisma, massa carneâ costis interiùs accreta, ea nonnunquam induxerunt, graviores pulmonum adhærentiæ iisdem

sæpè stipantur, & vomica jam adaucta hæc ità ad amissimæ æmulatur, ut diagnosis nihil certi habeat; vomica enim uti notum est clandestinè ingruit, & sæpiùs ità procedit ut symptomata quibus æger afficitur ejus præsentia à Medico, licet experto, non tribuantur. Cùm dein ruptâ vomicâ, vel copiosa puris per os excretio, vel cadaveris dissectio, symptomatum quæ præcesserant fallaciam arguant. Empyema purulentum hæc eadem conjuncta habet, neque à signorum indole, sed à solo prægressorum examine distingui valet; licèt igitur symptomata hæc nunquam negligenda sint, (ut pote quæ cum prægressis, tum causis, tum morbis sedulò collata gravem morbi suspicionem præbeant) univoca tamen censerì non debent, quæ ut magis firmetur conclusio, notare est in fine morborum chronicorum, quales sunt febres hecticæ, & lentæ symptomaticæ, fieri sæpe in cavo thoracis aquarum collectiones, inscio medico, & non nisi institutâ cadaverum sectione cognoscendas, undè concludimus.

Ergò nullum datur signum univocum Hydropis pectoris.



QUÆSTIO OCTAVA.

An Morbi Convulsivi à solo vitio medullæ spinalis fieri possint?

Morbi convulsivi ii sunt, in quibus violenta & invita contractio excitatur, nunc constanter in eodem musculo, aut in congeneribus, aut in Antagonistis, nunc alternè & successivè in Antagonistis; exindè morborum convulsivorum divisio, in convulsionem propriè dictam, & in motus convulsivos; quorum utrumque in diversas species subdividitur. Convulsionis causa continens est vividus & constans, non imperante, imò renuente voluntate, fluidi nervei influxus in eundem musculum,

vel in congenres vel in Antagonistas, undè illius vel eorum contractio permanens, sicque pars rigida & immota, quod convulsionis essentiam ponit; motus vero convulsivi immediatè producuntur ab eodem fluidi nervei influxu, quem sistere nequit voluntas; sed inæquali, alterno & inordinato in musculos Antagonistas, unde eorum invita, violenta, & alternè repetita contractio; quod motuum convulsivorum naturam constituit; quidnam ergò inter convulsionem, & motus convulsivos, simulque inter causam utriusque continentem discrimen intercedat ex dictis colligitur, & patet omnia quæ præternaturalem fluidi nervei secretionem ita turbabunt, ut influxus memoratis conditionibus stipatus in musculos sequatur, inter causas convulsionis aut motuum convulsivorum remotas fore recensenda. Hæcce autem causæ bifariam sunt distinguendæ: plures enim in organa prius agunt, ex quibus impressiones ad nervorum originem transmittuntur, aliæ nervorum originem primariò afficiunt; ad prius causarum genus stimuli quilibet in organa agentes reducuntur, ad posterius quæ in ipsam nervorum originem primariò agunt, uti cranii fractura, depressio, cerebri commotio, inflammatio, abscessus, mala ejus conformatio, vascula in eo aneurismatica, varicosa, & ad idem causarum genus reducendos censemus morbos convulsivos hæmorrhagiis, & summæ debilitati, uti in mortis agone, succedentes, in quibus non equidem uberior fit fluidi nervei secretio, neque intenditur ejus ad musculos influxus, sed norma secretionis & distributionis mutatur, ita ut majori ratione ad musculos contractos, quam ad ipsorum Antagonistas devehatur. Utrùm verò ex solius medullæ spinalis vitio hicce affectus induci queant, ex prægressis, & ex cognitâ nervorum origine eruetur; quoad primùm constat prædictum fluidi nervei in musculos influxum causam morborum convulsivorum continentem præbere: hic autem præternaturalis influxus necessariò arguit ejusdem fluidi nervei turbatam esse secretionem, & modo absone peragi: ergò locus in quo liquidum nerveum secernitur affici ipse debet, neque aliter unquam morbi con-

convulsi exorientur. Possunt equidem causæ remotæ in aliis, & diversissimis corporis partibus hæere, uti sæpissimè fit, sed proximior morbi causa, ejusque continentem inducens in ipsâ nervorum origine semper est admittenda. Verùm constat nervorum originem in spinali medullâ non adesse, nervi enim ex eâ prodeuntes in tantùm operantur, in quantum communicatio medullæ spinalis cum cerebro non est intercepta; eaque nervorum motui voluntario inservientium origo in cerebro est, uti innumera experimenta evincunt, quibus pariter liquet in illius medullâ motus quoscumque voluntarios sui principium habere. Proxima ergò morborum convulsivorum causa in cerebro semper & essentialiter hæret, seù primariò affectum id fuerit, seu secundariò tantùm, ex quibus eruuntur varia medullæ spinalis vitia, quæcumque ea supponere lubeat, nunquam nisi instar causæ morborum convulsivorum remotæ habenda fore; neque eos unquam nisi cerebro priùs affecto, productura, undè concludimus.

Ergò morbi convulsi à solo vitio medullæ spinalis fieri nequeunt.



QUÆSTIO NONA.

An Febri malignæ vesicatoria?


Febriis maligna est Febris acutæ continuæ species in quâ duo præcipuè sunt advertenda, natura pulsûs, & summa vel in ipso morbi initio virium prostratio. Quoad primùm pulsus in eâ essentialiter frequens, multiplex varietatum genus exhibet: vel enim ad naturalem accedit præsertim in initiis, vel in ipsâ morbi invasione formicanti similis, minimus, & frequentissimus est, vel parvus, languidus, mollis, depressus, occultus, inæqualis & intermittens exploratur: constat itaque

in illâ vires vitales parum intendi, vel etiam imminui, aut inæqualiter exerceri. Cùm autem in Febre malignâ, præsertim incipiente, pulsus interdum naturalem æmuletur, simulque calor ad nativum nonnunquam accedat, morbi exordientis sævities non rarò occultatur, unde Febris hæc maligna, seu mali moris dicitur; quoad secundum, insignis virium lapsus vel in ipsis morbi primordiis observandus, aut ab earum exinanitione, aut ab illarum oppressione dependet. Absque symptomate prævio morbus interdum ingruit, ut plurimum tamèn quibusdam ante ejus accessionem diebus, virium adest languor, anxietas, animi torpor, appetitûs imminutio, sensuum hebetudo; ubi verò præsens jam adest, diversa omninò & anomala sibi annectit, quibus nunc unam, nunc aliam corporis partem præ aliis affici edocemur: ex illis multò frequentius obsidetur cerebrum, variaque exindè exurgunt, uti capitis gravitas, illiusque dolor interdum acutus, sæpius gravativus, insomnia, vel è contrà somnolentia, exiguus vel nullus morbi sensus, delirium plerùmque obscurum, tendinum subsultus, dentium stridor, excrementorum sine sensu profusio, & morte præsertim imminente muscarum venatio, quibus diversa substituuntur vel junguntur, prout thorax abdomen, aliæve corporis partes simul aut seorsim corripuntur; causa morbi continens est summa sanguinis aptitudo ad inflammationes, præsertim Erysipelatosas, vel Gangrænodæas in solidis excitandas, quibus cerebrum frequentius infestatur; hæc sanguinis aptitudo ex ejusdem lentore & inspissatione dependet, quâ pariter afficiuntur varia sanguinis recrementa, & cui comes adest eorundem fluidorum diversæ indolis acrimonia, ita ut sanguis aliaque fluida habenda sint veluti particulis inspissantibus & acerbis in earum sinu intricatis, referta, quarum nunc primæ nunc posteriores prædominium tenent: pravam hanc fluidorum diathesim, quæ ut plurimum clandestinè irrepit, ingens succorum in primis viis nidulantium parique vitio infectorum apparatus producit & fovet, undè cardialgiæ in isto affectu frequentes exurgunt simulquè varia ex illis fiunt, quæ in tertiâ

thesi veluti signa putredinis exhibuimus. Causæ remotæ vel communes sunt, uti in constitutionibus epidemicis, vel propriæ & utræque à sex rebus non naturalibus, aere præsertim & alimentis sunt deducendæ, tuncque inprimis agunt cum præviæ adsunt in ægrotantibus dispositiones. utrum in Febre maligna fluidorum crassities, aut acrimonia prædominentur, nosse plurimum interest, idque ex ægri naturâ, causarum indole & symptomatum varietate dignoscetur. Morbus licet periculo plenus, plurimum spei relinquit si peritâ manu tractetur, ad 14^{um}. 21^{um}. diem, & ultrâ extenditur, sæpè sudoribus, surditate, parotidibus terminatur quæ cautè à semetipsis symptomatice accedentibus sunt distinguenda. Quoàd therapeiam urgentior in eo versatur indicatio, ut inflammatio cerebrique in isto affectu frequentior est, vel præcaveatur si imminet, vel ad resolutionem ducatur, si jam incæperit; quam indicationem venæ sectiones è talo in morbi præsertim initiis instituendæ adimplent, debitâ tamèn virium ægri ejusque pulsûs habitâ ratione, neque vires exhaustas cum oppressis confundendo; sic venæ sectionis ope depletis omnibus & speciatim cerebri vasis, pravi succi in ventriculo hospitantes quam citò, & breviori viâ, sunt evacuandi, ut indè fomes morbi imminuatur; itaque emetica summoperè profunt, quorum insuper actione vasa quælibet concussa in contentos humores agunt vividius, eorumque aptitudinem ad hærentias ubicumque inducendas minuunt, repetitus purgantium usus essentialiter etiam requiritur: sic ope diætæ, ptisanæ convenientis, venæ sectionum, emeticorum & cathartorum usu, novæ præcaventur sanguinis, aliorumque humorum hærentiæ, præsentis ad resolutionem sensim perveniunt, & ità indicationes adimplentur quæ curationis objectum erant. Verùm auxilia è præcedentibus educta semper non sufficiunt: si enim crassities fluidorum prævaleat, isque sit cerebri infarctus ut solida quælibet flaccescere, & relaxari, ægrum alto detineri sopore, neque illius pulsum cardiaca instaurare; vesicatoria in hoc casu speciatim commendantur, & plures ex orci faucibus eruunt;

quippè cum sanguinis, & lymphæ, glutinosum tenax attenuent & solvant, 2°. Solida quæcumque stimulent, & eorum oscillationes exfucitent ex quâ duplici actione præcipuos eorum effectus deducendos censemus, vndè concludimus.

Ergò Febri maligna vesicatoria.



QUÆSTIO DECIMA.

An Palpitatio Cordis ab ejus auricularum vitio, & ab eo tantum?

PRæter fistolem & diastolem, quibus sibi invicem succedentibus, sanguinis circulatio promovetur, alter observatur in corde motus quo fistoles tempore versùs anteriora impellitur, ejusque apex ad costas impingit. Istius motûs causa in corde non est quærenda, sed in partibus basi ejus appensis, sinibus nempe venosis, & utriusque magnæ arteriæ trunco, quæ eo tempore turgentia, quo contrahitur cor illud è sede dimovent, & effectum memoratum inducunt. Causæ illius cor ad anteriora impellentis veritas constabit attendenti auriculam dextram, sinumque venosum ejusdem lateris unum & commune cavum efficere, idemque in auriculâ sinistrâ, & sinu venoso ipsi correspondente obtinere, ideòque synchronam esse, tum sinuum venosorum, tum auricularum dilatationem cui pariter synchrona est arteriæ aortæ & pulmonalis diastoles; undè videre erit totam cordis molem ab iis vasis simultaneò dilatatis necessariò esse propellendam, ejusque propulsione directio omnibus innotescet qui auricularum, sinuum venosorum, cordisque situm perspectum habebunt. Iis causis pulsatio quam naturaliter omnes tempore cordis fistolis experimur est tribuenda, quæ si solitos excedat limites, itaut cordis apex ad costas

vehementius impingat quam naturaliter fieri solet, morbum constituit quem palpitationis nomine insignierunt. Morbi istius causa efficiens eadem est quæ pulsationem naturalem inducit, sed ad altiorem gradum evecta: obices verò in corde ipso, vel in ejus vicinia positi sanguinisque ingressum in cor, vel ejus è corde emissionem, vel illius intrà aortam aut pulmonalem iter præpedientes causas ejusdem palpitationis remotas constituunt. Causæ jam relatæ inventionem debemus *Willisio* qui primus eam non solum indicavit, verum enucleatè & distinctè exposuit, illamque causarum remotarum agendi modò, & observationibus è cadaverum sectione desumptis illustravit (a) cum autem sinus uterque venosus & arteriarum aortæ & pulmonalis initium tum ad pulsationem naturalem, tum ad palpitationem concurrant, notare interest quænam ejus concursus in diversis palpitationis speciebus sit varietas. Itaque ad naturalem pulsationem multum tum sinibus venosis, tum radicibus arteriosis tribuendum censemus. Tument enim, corde sese contrahente, sinus uterque venosus, neque sanguinem in cordis thalamos valet evomere: vi ergò suæ dilatationis in molem illius nititur, eamque ad anteriora propellit: arteriæ pariter tument validèque in cordis basim agunt sanguis enim in utroque trunco arterioso suæ propulsioni resistit, portioni è corde ejectæ viam denegat, nec nisi resistendo cedit, ista ergò tum in aortæ parietes incurrit, tum ipsam cordis basim vividè reverberat, undè valido utriusque causæ concursu memoratus effectus inducitur. Quoad palpitationem, exempla earum dantur in quibus nulla actio vel saltè exiguè ex trunco aortæ arteriæ, vel ex trunco arteriæ pulmonaris est expectanda, quandò nimirum obex quicumque vel in corde ipso, vel in alterutrius ex illis arteriis ipso initio reperitur: tunc enim sanguinem à corde non nisi ægrè & parcè suscipiunt, non multum igitur tument, neque nisi levissimam actionem in cordis basim exerunt. Verum si obex sanguinis propulsioni oppositus non in ipso arteriarum initio sedem habeat, sed paululum

(a) *Willis. pharmac. ration. sect. 6. cap. 3.*

fit à corde remotus, multum ab arteriâ ita affectâ palpitationis negotium pendeat: sanguis enim à corde contracto emissus, arteriæ subibit initium, & cum obicis ratione tractum ejus nequeat decurrere, impensius illius radicem dilatabit, sicque præcipua palpitationis causa fiet. Palpitatio causis memoratis inducta accidentalis est, vel habitualis. Primam varia determinant, uti cursus, saltus, exercitium, animi pathema, aliaque ejusdem generis bene multa, quorum ex dictis agendi modum eruere arduum non est. Habitualis variis affectibus sæpè accedit chlorosi v. g. affectioni histericæ, hypocondriacæ, &c. sed peior palpitationis species illa est, quæ à vitiis localibus & obicem fixum in corde ipso vel propè cor sanguini offerentibus, dependet, uti ab auriculis prætumidis, à nimio cordis incremento, ab ejus abcessu, ulcere, hydatidibus, à vermibus, & calculis in ejusdem ventriculis, à poliposis concretionibus in ejusdem cavo enatis, ab arteriæ aortæ, vel pulmonaris ossificatione, aneurismatibus, ab earumdem à quâcumque causâ externâ compressione, vel ab internâ obstructione, aliisque hujusce generis innumeris apud observationum collectores reperiundis; ex quibus cum constet primò auriculas, sub quo nomine sinum utrumque venosum comprehendimus, nimiam suâ & præternaturali dilatatione palpitationem efficienter producere, sed solam hujusce motus causam non esse, ut potè qui arteriarum radicibus sit etiam tribuendus; & cum, 2^o. liqueat vitia quibus palpitatio remotè inducitur, modò in auriculis, modò in corde ipso, arteriis, partibusque vicinis inhære, exindè juxtâ Willisii mentem concludimus.

Ergò. Palpitatio Cordis ab ejus auricularum vitio, sed non ab eo tantum.



QUÆSTIO UNDECIMA.

Num Morborum species, & genera tutò per Symptomata essentialia determinantur?

Symptomata morbi essentialia sunt quæ morbum suâ præsentia declarant, & ejus ità depingunt imaginem, ut cum reliquis Corporis humani affectibus confundi nequeat. Hæc est enim symptomatum essentialium conditio, ut sui aggeriè morbum componant, qui morbus veluti quid individuum considerandus est non graphicè minùs eorum aggregatû depictus, ac entia quælibet eis exprimuntur quæ notas eorum constantes, & stabiles exhibent. Sic febris præternaturali pulsûs frequentia ità consignatur, ut circa ejus diagnosim decipi possibile non sit: affectus soporosi simplices, apoplexia nimirum, carus, & coma somnolentum, subitaneâ sensuum omnium externorum, & internorum abolitione, vel imminutione summâ, superstitè tantùm functionum vitalium, motuumque automaticorum exercitio, perfectè dignoscuntur; morbi convulsivi symptomatis in nostrâ octavâ Thesi relatis declarantur; tumores, vulnera, ulcera notis suis specificis patent, & distinguntur; idque de aliis quibuscumque affectibus qui symptomatis essentialibus stipantur, est advertendum. Affectus è contrà signis hujusce modi destituti nunquàm diagnosim certam admittunt, uti de hydrocephalo, hydrope pectoris, empyematè purulento, vomica, diversisque aliis notare est. Itaque cum symptomata essentialia morbum ità exprimant, ut statim a clinico dignoscatur, & cum 2^o. eorum absentia morbi diagnosim velo obtegat, summa quæ in morborum historiâ illorum symptomatum habenda est ratio facile innotescit, morbosque eâ methodo definire multò tutiùs, utiliùsque censendum, modò interim debita diligentia in jam dicendorum investigatione

adhibeatur : morbum enim symptomaticè expressum nosse non sufficit, sed causam illius continentem rectè callere opus est, & partium solidarum, & fluidarum status in quolibet casu peculiari sedulò est inquirendus, quippè cum ex illis indicationes in therapeia adimplendæ debeant educi, neque aliter in morborum curatione successus, nisi fortuitus, sit expectandus. Nunc cum symptomata essentialia tutissima, ubi dantur, morborum diagnoseos via sint, quæritur à nobis utrùm per ea tutò species, & genera variorum Corporis humani affectuum determinantur; cui propositæ quæstioni responsum ex prægressis eruitur. Vel enim istius methodi finis esset, ut simplex traderetur morborum historia, vel simul ut eos curandi normam includeret, ità ut eadem species, & genus, eâdem semper, & constanti methodo essent debellanda. Si primùm, divisio hæc sub eo respectû utilis esset, sed insufficientis, cum plures morbi dentur qui symptomatis essentialibus carent. Si secundùm, multùm esset fallax, & in evidentissimos errores Medicos, juniores præsertim, induceret, qui eo detenti præjudicio singula, tum genus, tum speciem immutabili, & unicuique specificè adaptatâ curatione tractanda esse, sæpiùs ægris nocerent quàm prodesent, undè concludimus summâ cautelâ opus esse in tali morborum per symptomata essentialia in genera, & species divisione; idque insuper notandum morborum species non nisi sobriè statuendas esse, nimiamque earum multiplicationem cautè vitandam: exinde enim adeò lux major non affulgeret, ut potiùs sequerentur confusio, & obscuritas. Ex quibus concludimus.

Ergò non, nisi cum conditionibus in thesi stabilitis, morborum species, & genera per symptomata essentialia tutò determinantur.





QUÆSTIO DUODECIMA.

An Robur vitale ex actualibus pulsibus, & respirationis viribus sit æstimandum?

Robur vitale per effectus in sano, & in ægroto editos dignoscitur: ii effectus sunt humorum propulsio per vasa, & viscera, à corde motore præcipuo, & ab automaticâ vasorum, arteriarum in primis sanguiferarum, actione dependens: quoties igitur veges, & expeditus circuitus sanguinis, & humorum procedit, toties virium vitalium robur adesse pronuntiandum est... Ratio tamen quam in diversis sanitatis, & morbi temporibus earum incrementi, & decrementi gradus inter se servant à nullo determinari potest. Sæpius autem obstacula sanguinis circuitui opponuntur quorum effectus ad diversimodè immutandam vim vitalem plurimum valent. Itaque si hærentiæ subitanæ in extremis arteriosis fiant, ibique coarctato exitû sanguinem retardent, primus effectus exindè oriundus est adaucta sanguinis pressio lateralis quæ vim omnem retardantem valet, undè major arteriarum in extremis infarctarum sectio permanens ab obice usque ad cor, ex quo statim sequitur sanguinis retardandam fore velocitatem in vasis obstructis. Eædem enim vires fluidis velocitates imprimunt quæ sunt inter se in ratione inversâ sectionum intrâ quas hæc fluida moventur. Secundus effectus est tensionis augmentum tunicis arteriarum ab obice ad cor usque accedens: earum igitur vibrationes celeriores fiunt: positis enim iisdem fibrarum diametro, & longitudine, quadrata temporum quibus earum vibrationes eduntur sunt inversè uti illarum tensiones, & consequenter tempora ipsa in ratione inversâ subduplicatâ earumdem tensionum, undè si ponatur ad instans sectionem quadruplâ evasisse, subduplum tempus in arteriarum vibratione

rione infumetur. Juxtà eamdem rationem earumdem vibrationum frequentia intendetur, & illarum sola magnitudo decrescet: adauctâ enim sectione permanente arteriæ, cum minori coronâ eamdem sanguinis copiam ab eâ admitti posse evidens est. Ex dictis ergò sequitur hærentias in extremis arteriosis eos statim inducturas fore effectus, ut vasa obstructa celerius, & frequentius pulsent, & uniuscujusque pulsationis magnitudo decrescat: tertius effectus qui à prædictis sequitur in vasis liberis obtinetur: ea enim est fluidorum conditio (ut pote quæ impressioni cuicumque cedunt) ut si in aliquo loco minor ipsis resistentia offeratur quam in cæteris punctis, versus eum moveantur: sanguis ergò vasorum liberorum ostia uberius subibit, undè major istorum sectio permanens, pressio lateralis major, eademque quæ superius fuerunt exposita: obices igitur memorati in arteriarum extremis positi frequentiam, & celeritatem vibrationum per se adaugent, earum magnitudinem imminuunt: pulsus ergò celer, frequens, & parvus obicum existentiam demonstrat, & moram sanguinis circuitui inducitam fuisse significat. Hic autem status in plerisque Febribus incipientibus observatur, cum dein pulsûs magnitudo ejus frequentia, & celeritati accedens perstare adhuc obices ostendat, sed incrementum jam vires vitales sumpsisse. Obices ad altiorem gradum eveci diversi generis inæqualitates in arteriarum vibrationibus inducunt, undè pulsus intermittens, inæqualis, &c. quibus pulsibus ut signis, summum circuitûs laborem dignoscimus. Nunc verò si libera sit sanguinis ubicumque circulatio, minor erit sectio arteriarum permanens, major ergò ab eâdem sanguinis quantitate earum diastoles quam profundior systoles excipiet, simulque tardior, & rarior quorum ultimorum phænomenon ratio ex prægressis facilè intelligitur: pulsus ergò magnus, tardus, & rarus sanguinis circulationis facilitatem, ejusque liberum, & expeditum per vasa quæcumque transfluxum denotat, & is est qui in sanitate observatur, in quâ simul plenus, fortis, & æquabilis exploratur.

summè in Medicinâ faciendâ necessaria est, ut roboris vitalis adaucti, vel imminuti dignoscatur præsentia, & ut tutæ exindè ad morborum curationem indicationes eruantur. His omnibus addendum est 1°. clinicum de pulsûs viribus judicaturum non ad unicam illius affectionem attendere, frequentiam, v. g. vel raritatem, sed plures collectivè notare, ut superius fuit indicatum, 2°. ad praxeos exercitium nosse satis esse adauctas, vel imminutas fuisse vires vitales, sed rationis determinationem quâ adauctæ vel imminutæ fuerunt neque invenire possibile esse, neque etsi inveniretur, utile 3°. magnas pulsuum varietates ex naturâ arteriæ singulari, ætate, sexu, temperamento, animi affectibus, vivendi modò exoriri, quas à medico pulsuum explorante adverti necessum est. Respiratione ut signo utuntur etiam Medici: ex eâ facili, magnâ, lentâ, æquali concludunt sanguinem à corde debito robore propelli, liberè & expeditè per pulmones transmitti, simulque aptum esse ut per omnia corporis vasa debitè fluens, nullum ullibi suæ propulsioni obstaculum pariat: ex eâdem è contrâ parvâ, celeri, difficili, dolente, anhelosâ inæquali contrariam conclusionem eliciunt; ex quibus concludimus.

Ergò robur vitale ex traditâ respirationis conditione, & ex actualibus pulsûs viribus est estimandum, ita tamen ut ratio quans illius incrementi, & decrementi gradus inter se servant determinari non possit.

